

OPERA MORALIA

**S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO**

DOCTORIS ECCLESIAE

**IV.**

OPERA MORALIA  
SANCTI ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

DOCTORIS ECCLESIAE

IV.

---

**THEOLOGIA MORALIS**

EDITIO NOVA

CUM ANTIQUIS EDITIONIBUS DILIGENTER COLLATA  
IN SINGULIS AUCTORUM ALLEGATIONIBUS RECOGNITA  
NOTISQUE CRITICIS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATA

CURA ET STUDIO

**P. LEONARDI GAUDÉ**

E CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS

**TOMUS QUARTUS**

COMPLECTENS

TRACTATUS DE MATRIMONIO, ET DE CENSURIS, PRAXIM CONFESSARII,  
EXAMEN ORDINANDORUM AC INDICES GENERALES

---

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

—  
MDCCLXXII

*Editio photomechanica*  
*Sumptibus C.S.R. 1953*

## PRAEFATIO EDITORUM

### APPROBATIO

Libentissime annuimus ut operis inscripti: „*Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio Doctoris Ecclesiae Theologia Moralis, editio nova, cum antiquis editionibus diligenter collata, in singulis auctorum allegationibus recognita notisque criticis et commentariis illustrata, cura et studio P. Leonardi Gaudé e Congregatione Sanctissimi Redemptoris*“ fiat reeditio arte photomechanica.

Romae, ad S. Alfonsi, die 5 maii 1953.

LEONARDUS BUYS  
*Congregationis Ssmi Redemptoris  
Superior Generalis et Rector Maior*

IMPRIMATUR:  
Curia episc. Seccovien.

Nr. 3287.

Graecii, die 23 Junii 1953.

† FERDINANDUS

Critica haec Theologiae Moralis Alphonsianae editio ad tertium usque volumen feliciter in lucem prodierat, ac maturum erat prelo volumen quartum, cujus jam pars typis fuerat mandata: quum eheu! morte repentina correptus fuit, die 14 Augusti a. 1910, praecipuus ejusdem auctor, R. P. Leonardus Gaudé. Is enim, per annos viginti duos, huic apparando atque edendo operi insudaverat, incredibili quidem labore, qui vires ejus paulatim infregit, eumque, veluti navarchum jamjam littori appulsum, in ipso portu oppressit; salvis tamen pretiosis, quos advexerat, thesauris.

Natus erat Leonardus in oppidulo Vigneulles, dioecesis Nanceiensis in Gallia, a piis honestisque parentibus, die 25 Oct. a. 1860. Inde a duodecimo aetatis anno ingressus erat, apud Redemptoristas in Gallia, scholam apostolicam, quam Juvenatum appellamus, ubi nempe in litteris ac pietate juvenes excoluntur, qui ad Institutum divinitus videntur esse vocati. Sedecim annos natus emensusque novitiatum, vota religiosa nuncupavit, ac dein, perfectis primum studiis humanioribus, totus incubuit in disciplinas philosophicas et theologicas usque ad annum 1884, quo anno, die 7 Junii, sacerdotium suscepit.

Tanto autem successu curriculum studiorum absolverat, ut paulo post a Superioribus munus acceperit docendi nostros alumnos philosophiam: quo in magisterio, mira ejus emicuit cogitandi vis et dicendi perspicuitas. Has ille praelectiones habuit in oppido Hollandico Dongen, quo tum, ob eruptam in Gallia persecutionem adversus Religiosos, domus Gallica studiorum translata fuerat. Sed in hoc munere haud diu permansurus erat.

Postquam, anno 1871, S. Alphonsus, plaudente orbe catholico, Doctor Ecclesiae renuntiatus fuerat, Congregatio SS. Redemptoris consilium cepit novam apparandi Alphonsianae Theologiae moralis editionem, eamque accuratissimam, cum antiquis editionibus collatam, in allegatis auctorum locis recognitam, notis opportunis locupletatam, uno verbo, tanto Doctore dignam.

Cui labori deputati fuerunt nonnulli e nostris sacerdotibus, quorum meminit Pater Gaudé in sua Praefatione pag. XLV. Atque hi quidem laboriosum hoc opus aggressi et pluribus annis persecuti, permultas collegerunt amplissimae hujus messis mergites. Alia tamen metenda remanebant apud auctores a S. Alphonso allegatos, quorum opera nec comparari potuerant, neque in Romanis bibliothecis reperiri. Praeterea tota materiarum congeries secundis curis perlustranda erat atque ordinanda.

Difficili huic penso feliciter absolvendo nemo Leonardo nostro visus est aptior; qui igitur, ineunte anno 1887, Romam accitus, animose ad opus se accinxit, illudque perseveranti studio, nulla fere capta requie, ad finem usque perduxit. Nam etiam per menses aestivos, quos valetudinis causa extra Urbem solebat transigere, labori vacare pergebat; tunc enim celebriores adibat Europae bibliothecas, ut libros quaereret quos alibi non invenisset. Bis tantum interruptit aliquantis per solitas occupationes: primum, quo tempore suam composuit Dissertationem *De Morali Systemate S. Alphonsi* (in 8°, Romae 1894); deinde quum, distracta XIII editione Institutionum Moralium, quas scripserat olim Clemens noster Marc, editionem XIV pararet, adjectis novissimis S. Sedis decretis (2 vol. in 8°, Romae 1911).

Praemisso itaque tam diuturno labore, prodiit tandem, anno 1905, primum volumen hujus nostrae criticae editionis. Opus illud egregius auctor Summo Pontifici Pio X dicaverat. Quam vero illud acceptum fuerit Christi Vicario, luculenter apparet ex Litteris ejus ad auctorem, datis die 12 Junii ejusdem anni, in quibus laus haec inter alias singularissima profertur: oblatam editionem *jure merito typicam appellari posse*. Similes postea laudes datae fuerunt a permultis Praesulibus, etiam purpuratis, a viris quibusque doctissimis, atque a commentariis ecclesiasticis variarum regionum et linguarum.

Primum volumen, haud ita longis intervallis, subsecuta sunt reliqua tria: secundum nempe a. 1907, tertium a. 1909, et nunc tandem quartum, quod prelo tradiderat Leonardus noster, at perfectum his in terris videre non potuit. Cernet tamen e caelis, quo jam confidimus ascendisse hunc Dei servum bonum et fidelem, qui in agro Dominico tam strenue operatus est, quique tradita sibi talenta tam fructuose impendit.

Erat enim Leonardus Gaudé vir solidae virtutis atque observantiae regularis amantissimus. Accedebat indoles bona et sociabilis, quae eum sodalibus aliisque carissimum reddebat; unde factum est ut apud omnes, qui eum noverant, magnum sui desiderium reliquerit. Fama ejus doctrinae, quae in re praesertim morali insignis erat, late percrebuit postremis potissimum annis; quamobrem haud raro viri docti et sacrorum Antistites, consilii causa, eum adierunt. Idem rogatus fuerat, sub initium anni 1910, ut officium Consultoris apud S. Congregationem Concilii acciperet; quae preces quum

instantius admoverentur, iis tandem annuit, unum postulans, ut muneris aditio differretur in secuturum Octobrem: quem mensem eheu! inter mortales non erat visurus.

Superest nunc, ut dicamus quae a nobis praestita fuerint in edendo hoc quarto volumine. Illius tomi, vivo Patre Gaudé, paginae circiter 150 impressae erant; cetera tamen omnia, quae de Matrimonio et de Censuris agunt, prompta erant notisque criticis instructa. Ex his adnotationibus, paucissimae tantum suprema indigebant lima, quam dedimus nos. Alias ipsi, sed perpaucae, adjecimus notas, ex jure praesertim recentiori desumptas. Ad notulas marginales quod attinet, eas sodalis noster non ante scribere solebat, quam cum fasciculos typographo traderet. Eisdem igitur nos conficimus, ubi deerant, i. e. paulo post paginam sesquicentesimam. Tandem, sub finem voluminis, bina adjecimus opuscula, quae S. Alphonsus perpetuo suae addita voluit Theologiae Morali, videlicet *Praxim Confessarii* et *Examen Ordinandorum*; cui quidem labori desideratus Pater Gaudé, morte praeventus, manum admovere non potuit. Methodus autem, quam in edendis hisce opellis secuti sumus, eadem plane est qua usus est defletus confrater noster, sicut fusius exponitur in Praefatiunculis inferius legendis, pag. 523 et 651. De duplici Indice generali, materiarum nempe et Auctorum, quo volumen concluditur, nihil hic dicendum occurrit, quum utrique suum praefigatur *Monitum*.

Romae, die 8 Decembris, festo Immaculatae Conceptionis B. M. V.

EDITORES.